

alienus. Quisnam ille et quam varius fuerit, refert HILAR. L. de Synod. n. 68. sic enarrans: *Ita una substantia Patris ac Filii prædicata, aut unum qui duas nuncupationes habeat subsistentem significat; aut divisam unam substantiam duas imperfectas fecisse substantias; aut tertiam priorem substantiam, quæ a duobus usurpata sit et assumpta, quæ idcirco una dicatur, quia in duas una dissecta sit.* Demum n. 86. subjungit: *Male intelligitur ὁμοούσιον: quid ad me bene intelligentem? ostendens hæc erethesi, propter aliorum malitiam et abusum non deserendam esse vocem, cujus sensus determinate ac satis fuerat expositus.*

Inst. 2. Ex nostro dogmate sequitur primo, vel dari tres Deos: tum quia tres Personæ sunt tres substantiæ: tum quia Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt alius, alius et alius: secundo, vel non dari Personas distinctas; tum quia valet hic syllogismus expositivus: hæc divinitas est Pater, hæc divinitas est Filius; ergo Pater est Filius; tum quia axioma est, eadem esse inter se, quæ sunt eadem uni tertio: tertio, vel admittenda esse contradictoria; tum quia idem Deus esset genitus et non genitus: tum quia tres res essent una tantum res: tum quia res eadem haberet plures formas, vel constaret rebus perfectis h. e. personis, nec tamen diceretur compositum aut aggregatum per accidens.

R. N. seqq. — *Ad 1^o. p. prob. 1^{am}.* D. Tres Personæ sunt tres substantiæ absolutæ N. relativæ *subd.* quæ identificantur uni essentiæ seu divinitati C. quæ habeant etiam tres essentias ac divinitates N. — *Ad 2^{am}.* D. Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt alius et alius ratione personalitatum C. ratione essentiæ N.

Ad 2^o. p. prob. 1^{am}. N. syllogismus esse vere expositivus; cum reipsa sit categoricus habens terminum distributionis capacem, ob fecunditatem naturæ, qua unica numero divinitas communicatur pluribus realiter distinctis; unde sic exponendus est: Quidquid est divinitas, est Pater; quidquid est divinitas, est Filius; ergo Pater est Filius: quæ expositio habet præmissas falsas, et ostendit vitium syllogismi prioris. — *Ad 2^{am}.* D. Axioma est, eadem esse inter se, quæ sunt eadem uni tertio et incommunicabili C. infinito et communicabili pluribus realiter oppositis et hinc realiter distinctis N. Etenim pro hoc sensu dignitas axiomatis non tenet, sicut respectu divinæ potentiæ non valet axioma aliud: Ex nihilo nihil fit; nihil revertitur in nihilum.

Ad 3^o. p. prob. 1^{am}. D. Unus idemque sumptus in suppositione inadæquata est genitus et non genitus N. in suppositione adæquata *subd.* est genitus secundum unam, et non genitus secundum aliam Personam C. genitus et non genitus secundum eandem Personam N. — *Ad 2^{am}.* D. Sunt tres res et una tantum res sub eadem ratione N. sub ratione diversa, scilicet tres sub ratione Personarum, et una sub ratione essentiæ C. — *Ad 3^{am}.* D. Eadem res haberet plures formas adæquatas ac ejusdem omnino rationis N. inadæquatas nec ejusdem omnino rationis C. Item constaret rebus perfectis summam inter se naturæ unitatem habentibus C. nulla inter se habitudine aut connexionione gaudentibus N. Ex his autem tam compositi quam aggregati per accidens notio eliditur.

336. *Obj. cont. 2^{um}.* Deus non debet dici *singularis* nec *unicus*; ut docent inter Patres HILAR. L. 7. 8. et 9. de Trin., AMBR. L. 5. de fid. c. 1. et 2., LEO Serm. 76. de Pentec. 2. — inter Scholasticos D. THOM. p. 1. q. 31. a. 2. cum MAGISTRO SENT. ALBERTO M. et aliis. Item juxta ANSELM. in Monol. c. 26. essentia divina non est *individua*; et juxta BOETIUM L. de persona et 2. nat. c. 3. *individua* substantia convenit tantum personæ, non autem essentiæ. Ergo notionem unitatis individualis naturæ divinæ non congruunt.

R. D. Deus non debet dici *singularis* et *unicus*, qua asseratur in Divinis *singularis*, unica ac solitaria persona C. qua asseratur et *singularis* natura N. Patres quidam nolebant has usurpari voces, vel ob quæstionis tunc cum Sabellianis agitatæ controversiam; ut accidit HILARIO, cujus hæc sunt verba (L. de Syn. n. 21.): *Plures hæreticorum idcirco similem secundum divinitatem esse Patri Filium dicunt, ut per similitudinis proprietatem eundem Patrem esse, quem Filium confirmant: quia indiscreta similitudo admittere videtur unici ac singularis occasionem*, et n. 22. *Anathema ergo est, qui in Patre et Filio naturæ similitudinem ad abolendam Filii personalem significantiam prædicabit*: vel ob proprietatem sermonis, singularitatem ad Personam referentis, ut AMBROS. indicat dicens: *Singularitas ad Personam pertinet, unitas ad naturam*: vel ad tollendam ambiguitatem, qua singularitas pro solitudine accipiebatur, ut LEO (l. cit. c. 3.) commemorat: *Ut et solitudinem non recipiat Trinitas, et unitatem servet æqualitas*. Similiter additum D. Essentia non est *individua* vel respiciendo speciem, vel negando communicationem C. sine tali respectu aut negatione N. ANSELMUS quidem loquitur de individuo, quod *universalem essentiam communem* habet: BOETIUS autem de individuatione incommunicabili agit, quæ est character *personæ*. Cum dictis conspirant Scholastici laudati.

Inst. 1. Patres tribuendo etiam naturæ divinæ notionem unitatis *individualis* nunc usitatas, non hanc tamen asseruerunt, sed aliam nempe intentionalem vel moralem. Nam primo, per *monadem* et *henadem* BASIL. ep. 141. (al. 8.) BOET. Libel. ad Symmach. quomodo Trinitas sit unus Deus. c. 3. et SYNESIUS hymno tertio v. 174. intellexerunt simplicitatem essentiæ ab omni compositione remotam. Secundo, per *naturam individuam* CYRIL. Dial. 6. de Trin. (opp. t. 5. p. 592. C.). BASIL. ep. 43. (al. 38. n. 4. opp. t. 3. p. 118. E.), et DRONYSIUS ROM. cit. ab ATHAN. L. de Decret. Nicæn. Synod. n. 26. indicabant naturam non sectam, non partitam, non divisam. Tertio, per *unitatem identitatis* ac sine numero HILAR. L. de Syn. n. 57. et 67. ATHAN. Orat. 4. cont. Arian. n. 1. BASIL. ep. 141. (al. 8. n. 3.). AMBR. L. 4. de fide c. 1. n. 10. c. 2. n. 17. MARIUS VICTOR L. 1. cont. Arium n. 9. excludebant naturæ differentiam, diversitatem, et inæqualitatem.

R. D. Patres, naturæ divinæ tribuendo varias unitatis individualis notas, non tamen hanc, sed aliam unitatem asseruerunt, idque nec directe ac formaliter, nec indirecte ac consequenter N. non asseruerunt directe ac formaliter *subd.* illudque vel occasione data vel œconomia. C. universaliter et ex veritatis necessitate N. Primo quidem adscripta notionibus significatio adeo ex institutione ac communi etiam usurpatione illis est propria ac certa, ut et ipsi Patres hic oppositi, dum aut unitatem Personæ in Christo asserebant, aut *singularitatem* Personarum Sabellianam negabant, non alius uterentur; nec significatiōibus etiam uti possent, ubi *numericam* unitatem

expressam vellent. Unde sequitur tum horum tum aliorum Patrum similes formulas secundum communem ideam accipiendas, nisi adjectis expositionibus alio distraherentur.

Deinde vero illa notionum distractio nec omnium, nec ubique, nec semper erat; maxime post *Tritheitarum* hæresin ac errorem *Joachimi*: quorum oppugnatio scilicet adstrictiorem significandi vim exigebat. Hinc posteriorum Patrum et Conciliorum locutiones, si quid etiam discrepantiæ inter eos ac Antiquiores permittatur, ad horum interpretationem mensurandæ non sunt. Præterea Patrum nemo expresse negavit *individualement* unitatem naturæ: ubi autem solum expresserunt unitatem *specificam*; hoc vel sufficiebat pro tractata tum ab iisdem controversia, et ad refutandos *Arianos*, qui diversam, inæqualem aut dissimilem in tribus Personis naturam statuebant; vel suadebat prudentia, ne asserta singularitate locus suspicioni aut criminationi solitudinis *Sabellianæ* præberetur: præsertim cum ne sua quidem loquendi formula, utut remota, Patres evitare Sabellianismi objectionem potuerint.

Denique ex data a Patribus notionum qualicumque exegesi facilis et efficax erat illatio singularis naturæ. Nam perfecta omni ex parte *simplicitas* non compositionem tantum, sed et collectionem, adeoque pluralitatem excludit: negatio item sectionis, partitionis ac divisionis removet distinctionem quoque numericam, quæ ad minimum in sola existentia sibi propria ac speciali, adeoque separata consistit: diversitas demum, differentia et inæqualitas negata ad ostendendam veritatem et proprietatem divinitatis, sicut non negat, sed potius supponit Deum esse ens unicum et singulare, sic infert etiam naturam Dei unicam ac singularem.

Inst. 2. Unitatem Personarum in Divinis designant plerique Patres per *ὁμοούσιον*; quæ vox significat æqualitatem vel paritatem naturæ; æqualitas autem distinctionem supponit: iidem eam comparant cum unitate quæ est in pluribus hominibus, quos iidem consubstantiales dicunt: ubi vero priorem præ hac unitatem asserunt majorem, excessum exponunt per æqualitatem non tantum in natura; sed etiam in attributis et affectionibus quibuscumque; ut patet ex CHRYS. hom. in ep. 1. ad Tim. n. 1. AMBR. L. 1. de fid. c. 11. n. 18. LEON. Serm. 23. de Nativ. 3. c. 1. et 2. et aliis.

R. *Ad 1^{am}.* transmissa etymologia *D.* Æqualitas vel paritas supponit distinctionem subjectorum, quæ scilicet æqualia vel paria vocantur *C.* necessario etiam terminorum seu rei, secundum quam æqualia vel paria dicuntur *N.* Etymon homousiæ Conc. Toletanum XI. sic exponit (Labb. t. 6. p. 341. C.): *Propter quod Filius ὁμοούσιος Patri dicitur h. e. ejusdem cum Patre substantiæ creditur: ὁμοὺς enim græce unum, οὐσία vero substantia dicitur, quod utrumque conjunctum sonat una substantia.* Hæc derivatio videtur præcellere; cum æqualitas non ad substantiam, sed ad quantitatem vel molis vel perfectionis pertineat: unde Ecclesia canit: *ut in Personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas.* Sed permessa, quam etiam Patribus usitatam fatemur, expositione altera, ad servandam proprietatem locutionis sufficere distinctionem *subjectorum*, nec illam etiam *terminorum* requiri, patet ex denominationibus unitorum et conformium eidem numero rei et aliis ad eandem entitatem relativis. Quamvis porro naturæ ipsæ ac essentiæ dicantur subinde consubstantiales, tamen eas accipi pro suppositis ac sup-

ponere pro Personis vel ex eo patet quod propositiones fierent alias *identicæ* ac ridiculæ.

Ad 2^{am}. *D.* Unitatem in Divinis comparant secundum quid ac imperfecte cum unitate quæ est inter plures homines, et hos etiam dicunt consubstantiales secundum rationem *C.* comparant adæquate et perfecte, et dicunt consubstantiales secundum realitatem *N.* Deficere plurimum hanc comparisonem, et diversam esse in comparatis unitatem, ipsi Patres satis declarant, dum locis in *tertio* membro designatis unitatem Personarum præ unitate hominum prædicant majorem. Ex quo collige, assertiones hujus generis alias verum quidem habere sensum, non impedire tamen aut excludere ampliore alium congruentem.

Ad 3^{am}. *D.* Exponunt illum excessum per æqualitatem non tantum in natura, sed et in attributis et affectionibus, quæ hoc ipso tollat omnem distinctionem etiam numericam naturæ *C.* quæ realiter adhuc distinctas naturas relinquit *N.* Cum enim *numerica* distinctio vel diversitatem in natura, vel inæqualitatem in attributis, vel dissimilitudinem in affectionibus sequatur; hæc autem omnia principia respectu naturæ divinæ abesse dicantur a Patribus, aliud autem signum vel radix distinctionis assignari nequeat: sane vox illa æqualitatis usurpata unitatem numericam nequaquam excludit.

Inst. 3. Non una, sed distincta est in divinis Personis essentia. Nam *primo*, essentiam divinam *generantem* agnoscunt Cyr. Lib. 6. Thes. (opp. t. 3. p. 47. C.) AUG. L. 2. cont. Maximin. c. 14., HIL. L. 9. de Trin. n. 51. etc. item *genitam et natam* IGNAT. ep. interpol. ad Magnes. §. 8. (PP. Apost. t. 2. ed. Antwerp.) BASIL. L. 3. cont. Eun. EPIPH. hæc. 76. (Opp. t. 1. p. 941. D.) AUG. L. 7. de Trin. c. 2., FULG. de fide ad Petrum c. 2., ANSEL. Monol. c. 43. enuntiant. *Secundo*, plerique Patres utuntur præpositionibus ordinem originis indicantibus, dicendo Filium esse *ex* aut *de* essentia Patris; imo appellando *essentiam de essentia, substantiam de substantia, voluntatem de voluntate, sapientiam de sapientia* etc. *Tertio*, singulas Personas habere essentiam sibi propriam declarat NAZIAN. Or. 29. Item naturam Patris naturam *fructuosam* ac *principem*, naturam autem Filii naturam *nativitatis et unigenitam* HIL. L. 9. de Trin. n. 2. et 69. ac L. de Syn. appellat.

R. *N. Ass.* cujus falsitas patet ex definitione Conc. Later. IV. quæ Can. 2. seu Cap. *Damnamus* de sum. Trin. (Labb. t. 11. p. 144.) hæc habet: *Nos credimus.... et confitemur, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres simul Personæ ac sigillatim quelibet earundem: et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas; quia quelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest: et illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit: ut distinctiones sint in Personis, et unitas in natura.*

Ad prob. 1^{am}. *D.* Essentia divina dicitur a Patribus generans et genita in sensu improprio, et sumendo abstractum pro concreto, seu essentiam generantem pro Patre, essentiam genitam pro Filio *C.* in sensu proprio ac sumendo abstractum pro forma *N.* vel *subd.* indicando præcise id, quo Pater

generat et quod Filio per generationem communicatur *C.* indicando quid plus aut aliud *N.* Favent huic expositioni ATHAN. Dial. 2. de Trin., BASIL. L. 5. cont. Eunom., EPHREM SYR. Serm. de sui reprehensione (opp. t. 1. p. 124. Rom. 1732.) qui Patris, Filii et Spiritus sancti essentiam dicunt *ingenitam, innascibilem et principii expertem*: favent SS. THOMAS, BONAVENTURA, ALBERTUS cum plerisque Scholasticis, qui Patrum propositiones dicunt improprias, excusandas quidem et declarandas, sed non extendendas.

Ad 2^{am}. R. 1^o. *N.* Cons. Conc. Toletani XV. enim hæc est professio fidei: *Filius Dei de essentia Patris natus est, essentia de essentia: sicut natura de natura, et substantia de substantia; et tamen nec duæ essentia, nec duæ natura, nec duæ substantia dici possunt, sed una essentia, natura et substantia, sicut et lumen de lumine, non duo luminâ sed unum lumen.*

R. 2^o. Similiter *D.* Patres utuntur præpositionibus ordinem originis significantibus de abstractis concretisumptis *C.* de abstractis abstractivè sumptis *N.* Præpositionum hujusmodi usus præcipuus erat ad significandum contra *Arianos*, Verbum non fuisse natum ex non extantibus, neque ex aliena aut diversa substantia, neque cum aliqua dantis diminutione: unde et illæ formulæ, *Deus de Deo, lumen de lumine*, erant in symbolis et libris frequentes. Adhibitus præterea est ad denotandum originis ordinem inter Patrem et Filium, ac utrumque inter et Spiritum sanctum; dum supposita his propositionibus affirmabantur: ubi vero natura, substantia, essentia, aut attributa absoluta ab iisdem legebantur; vel sensus erat figuratus sub expressione abstracti significans concretum aut suppositum; vel denotabatur essentia communicatio, ratione cujus illa maneret sub duplici velut forma principii producentis ac termini producti. Sancti namque Doctores, ut *D. THOMAS* p. 1. q. 39. a. 5. ad 1. observat, ad exprimendam essentia unitatem aliquanto expressius locuti sunt, quam proprietatis locutionis patiatur.

Ad 3^{am}. R. *D.* Singulæ Personæ habent essentias sibi proprias, has sumendo pro notionalibus ac relativis formalitatibus *C.* sumendo eas pro quidditate absoluta et communi, in qua Personæ juxta omnium sententiam vel secundum rem vel secundum rationem conveniunt *N.*

Inst. 4. Patres multiplicari naturam in Divinis non dissimulant. *AUG.* quidem L. 7. de Trin. c. 4. n. 8. ait, *Scripturam non contradicere*, quominus dicantur tres essentia. *NAZIAN.* Carm. 3. de Spiritu sancto, v. 46.: *Triplex Deitas me (e Lavacro Baptismi) Luciferum oriri fecit.* Or. 23. autem et 34. tres vitas, tres sanctitates et tres glorias admittit, sicut et *PASCHAS. DIAC.* L. 1. de Spiritu sancto *tergeminam majestatem* fatetur: *HILAR.* demum L. de Syn. n. 31. 32. tres dicendas in Deo *substantias* ostendit; ac *JULIAN. TOLET.* Librum de tribus substantiis inscripsit.

R. *N.* Ass. ad quod confutandum sufficiat argumentum 2^{um}. Confirmationis pro hac thesi allatæ. Nec subsidii quidpiam illi præbent auctoritates oppositæ. *AUG.* quidem l. c. non dicit dari aut dici licere tres essentias, sed potius sic quærit: *Cur ergo et tres essentias non licet dicere; quod similiter Scriptura sicut non dicit, ita nec contradicit*, scilicet signate et expresse: cui quæstioni tum ibidem tum c. 6. rationes subjicit, quæ trium essentiarum appellationem et periculosam et falsam probant. *CUR NAZIANZENSIS* tria vel triplex attribuât, ex ipsius Orat. 39. n. 11. intelligitur, ubi ait: *Deum dum dico, uno eodemque triplici lumine perstringamini: triplici quidem,*

quantum ad proprietates seu hypostases; uno autem, quantum ad substantia h. e. divinitatis rationem: quem locum repetens *JOANNES II. P. L.* de duabus naturis pro *triplici lumine* transtulit *tribus luminibus*. Eodem sensu ad formalitatem notionalem relato intelligendum esse *PASCHASIVM*, ipse textus demonstrat: *Catholica fides tergeminam majestatem sub unius divinitatis confessione veneratur*. Similiter *HILARIUS* per tres substantias intellexit Personas vel Supposita, contra *Sabellium* asserenda ex definitione Conc. Antiocheni, quod ibidem laudat. *JULIANI* liber huc non quadrat, utpote qui de tribus duntaxat in Christo substantiis, anima scilicet corpore ac divinitate tractat.

Inst. 5. Per se non repugnat, tres in Divinis Personas vocari *tres Deos*; sed Patres duntaxat dici prohibuerunt, 1^o. ex œconomia, ne viderentur favere polytheismo Gentilium, et a martyrio avocarent fideles, ut *TERTUL. L.* cont. Prax. c. 13. insinuat: 2^o. ad proprietatem loquendi servandam, vi cuius id, secundum quod plures convenire in unum dicebantur, in singulari efferendum est; unde *Abraham, Isaac et Jacob* abusive dici homines, cum unus homo vel una humanitas dicendi forent, docuerunt *GREG. NYSS. L.* ad Ablab. Cur non sint tres Dii (Opp. t. 3. p. 17. C.) et de comm. notionib. (Opp. t. 2. p. 83. seq.) *CYR. L.* 9. Comment. in Joan. (Opp. t. 4. p. 783.) *DAMASC. L.* 3. de fid. c. 8. etc. Ubi tamen ex axioma sequitur sola unitas specifica, et ex illatione ratio loquendi paradoxa emanat: 3^o. ad observandum morem Scripturæ, quæ secundum *AUG. L.* 7 de Trin. c. 4. contradicit propositioni tres Deos enuntianti, et secundum *AMBR. L.* 5. de fid. c. 3. n. 41. pluralitatem Deorum intelligit cadere in *ἐτεροουσία* sive ea, quæ sunt diversæ substantiæ.

R. *N.* Ass. Nos enim, quod *TERTUL. L.* cont. Praxeam c. 13. de Christianis dicit, *qui... duos quidem definimus Patrem et Filium, duos tamen Deos* non tantum ex ore nostro nunquam proferimus; sed dogma etiam nostrum veneramur velut fundamentum primum Catholice fidei, a Patribus et Conciliis tum affirmative, asserendo solum unum Deum, tum exclusive, negando tres Deos, stabilitum: in quo proinde tum verum reipsa subesse debet, cum fides magis sit de rebus quam de vocibus; tum abesse etiam sermonis ambiguitas, cum hæc parum distet a falsitate. Unde

Ad 1^{am}. R. Nego œconomia hujusmodi in *TERTULLIANO* ullum haberi fundamentum. In ipso namque objectionis loco non dicitur, professionem plurimum Deorum dissimulari, ne avocentur a martyrio fideles: sed dicitur per fidem pluralitatis divinæ reapse admissam, novæ ac hæreticæ dissimulationis præberi occasionem. En verba: *Cæterum si ex conscientia, qua scimus Dei nomen et Domini Patri et Filio et Spiritui convenire, Deos et Dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras etiam ad martyria timidiore, quibus evadendi quoque pateret occasio, jurantibus statim per Deos et Dominos, ut quidam hæretici, quorum Dii plures.*

Ad 2^{am}. R. Nego a Patribus prohiberi propositionem de tribus Diis tantum ob proprietatem sermonis, non supposita reali unitate Deitatis; cum sine hac multitudo mere numerica Deorum vere ac proprie negari nequeat. Quamvis enim Patres, ad refutandum *Arianorum* de divinitate Personarum inæquali ac diverso errore, axioma illo recte uterentur; item, ad ostendendam naturarum in hominibus specificam unitatem, modum loquendi com-

munem correctum vellent; tamen in utroque magis ad eorum, contra quos tum pugnabant, opinionem ac mentem, quam ad integram propriae credulitatis rationem ac Philosophiæ præscriptionem sermonem suum dirigebant. Hinc et ipsi majorem inter divinas, quam humanas personas unitatem intercedere fatebantur; et alii etiam idem retenta philosophicæ locutionis proprietate exprimebant: inter quos AUG. L. 15. de Trin. c. 23. inquit: *In illa summa Trinitate, quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut, cum trinitas hominum non possit dici unus homo, in illa unus Deus et dicatur et sit: nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus.* Secundum hætenus dicta etiam D. ASS. Patres prohibuerunt dici tres Deos, tantum ob proprietatem sermonis de unitate N. non tantum *subd.* disputando contra errorem Arianorum, et ad eorum opinionem præcise loquendo C. excludendo unitatem numericam, et suam hic fidem integram proponendo N.

Ad 3^{um}. D. Vetuerunt idem Patres ad observandum Scripturæ morem, h. e. ut teneatur loquendi modus cum Scriptura, de sensu ac veritate autem liberum sit sentire N. sic, ut cum Scriptura excludatur etiam pluralitas Deorum tantum diversorum *subd.* diversorum, id est, differentium præcise natura N. id est, differentium per quodcumque distinctionis signum C. Primum membrum refutat dictum AUGUSTINI; quia falsitatem rei et sensus declarat; reliqua exponit AMBROSII L. cit. ita enuntians: *Tamen si legamus Scripturas divinas, inveniemus pluralitatem magis in ea cadere, quæ diversæ discretæque sunt substantiæ, h. e. ἑτεροῦσια, etc.*

357. *Observa.* Anno superioris seculi nonagesimo sexto Petrus Faidit Sacerdos Gallus librum edidit de summa Trinitate, cujus dogma adeo nunc alteratum probare suscepit, ut cælum non tam a terra, quam Theologorum systema de eodem a doctrina Patrum distare vellet. Triennio post id scriptum P. Hugo Ord. Præm. Canonicus Regularis singulari lucubratione, dehinc autem *Tournely* in suo Cursu Theologico de Trinit. Quæst. 4. insertis hinc inde ad objectiones responsis confutavit. Seculo præsentis vidimus similem libellum typis in Germania editum, cujus hæc inscriptio: *Anonymi O. S. B. dogma Scholasticorum de unitate in Trinitate collatum, cum Patrum eadem de re doctrina: Parisiis 1760.* In eo auctor, sectione de relationibus generatim præmissa, sectionem alteram de divinis Relationibus distinguit paragraphis viginti ac uno, quorum primo quæstionis controversiam exponit; septem sequentibus triplicem aut trinam sensu suo naturam in Deo seu summa Trinitate dari contendit; reliquis ad argumenta unitatem naturæ divinæ numericam suadentia respondet.

Quisnam sit ille *sensus suus* naturæ triplicis, et quænam unitas naturæ divinæ subinmissa, vel auctor diserte ac distincte non aperit, vel lector quilibet non satis percipit; nisi forte sufficiat sensum intelligere a communi Scholasticorum alium. Dissimulationis hujus causam subodorabitur quis forsitan facilius, quam possit dare rationem reticentiæ, qua tum fautores tum adversarios suos vaga *cujusdam, nonneminis, docti viri,* aut simili appellatione auctor celarit; licet haud ingens Scriptorum Theologicorum notitia requiratur, ut quis Dogmaticorum difficultates in argumenta, et hæc vicissim commutata perspiciat. Porro in sua, quam Scriptor PATRIBUS tribuit,

auctoritate, optabit fortasse aliquis ut ejus veneratio ad Canones exacta fuerit, quos Critici sacri pro Patrum intelligentia et argumentatione ex Patribus condiderunt. Contemptus etiam Scholasticorum universalis nemini facile probabitur, qui inter eosdem SS. THOMAM, BONAVENTURAM, ALBERTUM, ANTONIUM aliosque sanctitate juxta ac doctrina eximios numerat, quique quid consensui Scholarum tribuerint Concilia posteriora, novit. Novi ac inauditi nihil admodum in argumentis reperire est; unde pleraque objectiones nostræ paucioribus verbis exhibent: responsionum similis est ratio, quarum partem maximam inter exceptiones nobis oppositas retulimus.

Quoddam responsum ad argumenta quadret, quæ in confirmatione Theos protulimus, divinare haud licet; cum illa sibi objicere noluerit, quantumvis eorum rudimenta in viri, ut scribit, eruditissimi opere dogmatico reperire licuisset. Non defuit tamen sibi in amolendo *Tritheismo*, cujus sua in historia *Petrum Faidit* insimularat Gravesonius: neque feriatius est in invenienda interpretatione Concilii Lateranensis, quod suis assertionibus de natura generante ac genita, de essentia triplici aut trina, de Deorum etiam trium tolerabili, si voces suppeterent, appellatione videbatur obstare. Geminum hoc responsionis caput, non tam ad confutandum *Anonymi* libellum (hoc enim Institutionum nostrarum ratio nec exigit nec sinit) quam ad confirmandum et vindicandum dogma hætenus propositum, breviter adhuc delibabimus.

I. Refert itaque imprimis *Anonymus* ex Gravesonio auctorem, errorem et sectas *Tritheitarum*; ubi addit ex Germanica NICEPHORI versione, quam unam haberet, non potuisse discerni in quonam præcipue error cubaret: inter sectas autem illas fuisse aliquam, quæ eodem fere modo, quo nunc Scholastici, fuerit locuta. Deinde veriorem, ut putat, *Tritheismi* originem ac effigiem in scriptis ATHANASII, NAZIANZENI, BASILII et AMBROSII inquirunt: Indeque *Tritheitas* solum vocandos colligit tum *Arianos*, tum eos, qui ita tres divinitates statuunt, sicut tria corpora aut tres homines dicimus. Ex quo tandem, quia in suo systemate Personæ sibi sunt substantialiter conjunctæ et Deitas est essentialiter trina, concludit illud accusari *Tritheismi* haud posse: carpitque SCHOLASTICOS, qui principia quidem verissima, sed ex quibus sequela mala a quibusdam deducitur, habere velint erroris suspecta: et cum *Joanne Philopono* Aristotelicæ Philosophiæ assueti, et humanis regulis divina metientes, sibi persuadere nequeant, Tres unum esse Deum, si triplex in divinis Personis natura statuatur.

Hæc responsio an vera sit ac efficax, ex eo videtur dependere, num *Philoponi* ac sequacium error dignosci possit, et similis aut dissimilis errori antiquorum dici debeat. Prius tentare juvat ex NICEPHORI CALLISTI per Joannem Langum versione latina, qui L. 18. Hist. Eccl. c. 47. *Philoponum*, quem c. 45. *Tritheitarum* ducem nominat, loquentem inducit: ipse vero historicus c. 48. prosequitur his verbis: *Sed Philoponus cum sectatoribus suis commūnem humanam naturam, ipsamque etiam divinam, quam indivisibilem dicimus, in plurimas partitur personas, discernens eam, et singulatim individuis tribuens, et tribus supersubstantialis naturæ subsistentiis dispersiens. Id vero ipsum a recte sentientibus prorsus est alienum.* Denique is idem c. 49. sectatores *Philoponi* enumerans sententiam *Cononitarum* sic exponit: *Profitentur isti revera Deum quidem esse et naturam et substantiam*